

uocant *Antarcticum*, quod per diametrum oppositus sit polo *Arctico*. Hic nunquam a nobis conspicitur; Semper enim tantum sub nostro hemisphærio delitescit, quantum alter supra idem hemisphærium attollitur, ut hic *Romæ 4<sup>o</sup>*. ferme grad. Virumq; hunc polum pulchre describit *Virgilius*, cum ait.

*Hic Vertex nobis semper sublimis; at illum*

*Sub pedibus styx atra videt, manesq; profundi.*

*Nautis* uterq; polus stella maris, seu stella nautarum dicitur, quoniam videlicet ad stellas quasdam, quarum vna vni, altera vero alteri polo propinquissima existit, respicientes *Nautæ*, iuicera sua per medium mare dirigunt.

*DICUNTUR* autem poli a verbo *Græco*, *πολις*, quod significat vtro seu circumago; Circa enim illa duo puncta tota mundi machina indefinenter circumuoluitur: Porro nonnulli hæc duo puncta, *Vertices*, seu *Cardines mundi* appellant; Sicut enim ianua circa cardines voluitur, ita etiam tota mundi structura circa dicta puncta, quæ sola immobilia existunt, conuertitur.

## DIVISIO SPHÆRÆ

### MVNDI.



**S**PHÆRA autem mundi dupliciter diuiditur, secundum substantiam, & secundum accidens. Secundum substantiam, in sphaeras nouem; Scilicet, sphaeram nominam, quæ primus motus, siue primum mobile dicitur: & in sphaeram stellarum fixarum, quæ firmamentum nuncupatur: & in septem sphaeras septem planetarum, quarum quædam sunt maiores, quædam minores, secundum quod plus accedunt, vel recedunt a firmamento. Vnde inter illas sphaeras, sphaera Saturni maxima, sphaera vero Lunæ minima existit.

### COMMENTARIVS.

**HÆC EST** secunda pars huius capituli, in qua duæ diuisiones sphaeræ mundi afferuntur. vna secundum substantiam, altera secundum accidens